

CAPVT XXIII.

De statu gratiæ in genere.

I.

Quid sit *statu gratiæ*? Est status libera-
tionis, seu redemptionis per Christum.

2. *Quenam in hoc statu sint consideran-
da?* Gratia Dei in genere; & postea in spe-
cie ista quinque; 1. fundamentum hujus sta-
tus, quod est fœdus gratiæ. 2. fœderis pro-
mulgatio in Euangelio. 3. ipse liberator,
Christus. 4. populus liberatus, seu ecclesia.
5. media liberationis interna & externa. Ibi
sunt regeneratio, pœnitentia, fides com-
munitio sanctorum justificatio, sanctifica-
tio, libertas Christiana, & adoptio: hic mi-
nisterium verbi & sacramentorum.

3. *Quid sit gratia Dei?* Ea est vel *χάρις*
vel *χάρισμα*. Quæ duo differunt, vt cau-
sa & effectum.

4. *Quid sit gratia Dei naturalis, & su-
pernaturalis?* Gratia Dei naturalis est, quæ
pertinet ad statum naturæ & vitæ anima-
lis. Ita lumen naturæ pertinet ad gratiam
naturalem, vt & alia dona Dei gratuita, quæ
in ethnicis, Turcis, &c. sunt conspicua.
Gratia supernaturalis est, quæ superadditur
naturæ, eiq; vel integræ, naturam exiens